

PROSOPOGRAPHICA

I Recensentur ab Alexandro Aphrodisiensi de anima p. 151 s. Bruns. αὶ περὶ τοῦ πρώτου οἰκείου δόξαι κατὰ τοὺς ἀπὸ τοῦ Περιπάτου, nominantur cum Aristotele Xenarchus et Boethus, tum p. 151, 30 Βεργίνιος δὲ Ῥούφος καὶ πρὸ αὐτοῦ Σωσικράτης φησὶν. hic Verginius Rufus potest idem esse atque clarissimus consularis quem Tacitus laudatione funebri et Plinius splendida epistula celebrarunt, cuius carmina memorantur et longa senectus in otio ac tranquillitate peracta. recordare quantum illa tempora philosophiae-studio pabulum dederint et quam famam ex eodem Silius Italicus tenuerit.

II Persius in sat. I v. 4 poetam sibi opponit *Labeonem*, v. 50 dicit *Ilias Atti*. scholiasta unum facit scriptorem Attium Labeonem, idque recte fieri probavi in Museo hoc XXXIX p. 289 comparatis nominibus viri primarii qui Q. Licinius Modestinus Attius Labeo dictus est (prosopogr. imp. R. II p. 280, 145). novum accessit documentum reperto in Sabinis titulo sepulcri, quod *C. Attius Labeonus l. Philocalus dat Attia[e] Labeonus l. Moscini sororei* (Not. d. scavi 1900 p. 150, 2). hos qui manu misit Attius Labeo municeps ac prope aequalis Sallustii potest avus fuisse poetae inrisci a Persio.

III Capitonea tot fuerunt ut duos in unum confundere velle temerarium videatur. audivit declamantem Capitonem Seneca pater et contr. X praef. 12 laudat rhetorem scholasticum nulli non praefendum post primum tetradeum. inventus est ad Dianae Nemorensis herma marmoreus sine capite incisus hoc titulo: *Q. Hostius Q. f. Capito | rhetor* CIL. XIV 4201. simul inventa sunt ibidem dedicata mulieris signum et elogia (*Frundilia C. f. Rufa | patrona Docti* CIL. XIV 4199 s.), muliebris imago peritis visa est aevum referre Augusti. potest Hostius hic Capito is esse quem Seneca amabat.

IV Νέστορα τῆ Παφίη τὸν ἀοίδιμον ἢ φιλόμουσος |

Ῥηγίνα σθεναρῶν ἔξ ὑπάτων ὑπάτη dicavit Palaepaphi, inser. gr. ad res rom. pert. syll. Paris. III n. 958. consularis haec femina ignoratur quos parentes habuerit, quem coniugem, num forte cognata fuerit Regillae Herodis. Nestor autem noli dubitare quin Larandensis sit clarus poeta qui factis dictisque luxuriavit ἀοιδαῖς, vide Suidam et AP. IX 364, Menandrum rhet. vel Geoponica. inscriptum igitur carmen est initio saeculi III.

V Principum virorum multorum nullum exstat indicium epigraphicum, ignobilium quorundam ac tenuiorum duplex aut multiplex. Romae prodiit e columbario inter Appiam viam et Latinam sito tabella haec CIL. VI 4924: *diis Man. | Claudiae Ti. f. Pollittae | sibi posterisq. suis | Cornelius Vitalis | coniugi optimae | l(oco) m(onumenti)*. L annis post inter viam Salariam et Pincianam in sepulcreto amplo effossa est tabella item marmorea haec CIL. VI 34932: *dis Mánibus | Claudiae Ti. f. | Póllittae | Cornelius Vítalis | coiugi optimae*. videtur Vitalis Pollittae reliquias condidisse ad Salariam, deinde ius sibi suisque adquisisse monumenti propinqui sepulcro Scipionum, vixisse autem circa principatum Claudii: inter alia animadvertit in urna Cornelii Afri ibidem loci eruta tribum *Vol(tiniam)* scriptam per digamma Claudianum.

C. Iulius | Xystus inscriptum legitur marmoris reposito in Laterano CIL. VI 20332, *C. Iulius C. l | Xystus* effosso nuper in sepulcris viae Salariae Bull. archeol. comun. Rom. 1905 p. 172. sed hic Xystus minori mihi curae est quam indidem protractus una aequalis eius *M. Pilius M. l. | Timo | plastes*. Pilius nomen coniugii adfiniumque Attici nos commonet, nec quidquam obstat quominus Augusti aut proximorum Caesarum aevo titulos hos attribuamus. Timon aliquis numeratur inter plastas in Pliniano indice XXXIV 91, incertae aetatis artifex sed quem natura eius indicis ad tempora Romana referri vix patitur; rectius idem esse creditur qui Athenis Euthyphrona Tithrasium fecit ante olympiada CLVI (Kirchner prosopogr. Att. II p. 460 n. 5665 a). diversus utique ab hoc Timon iste M. Pili libertus, novum exemplum platarum cognominum.

VI Auxentii nomen iam Brunnus hist. artif. II p. 343 in clarorum tabulam architectorum rettulit ex epigrammate Adanensi Cilicum inser. gr. rom. Paris. III n. 887 quod ipse non recte cepit de aquae ductu locutus, ne Kaibelius quidem epigr. 1078 plane bene distinxit et explicavit. fecerat ille Cydni pontem fornibus fundatum in aeternum, καὶ ποταμὸς πλήθων πρηύτερος τελέθει, αὐτὸς τήνδε γέφυραν ἀνασχόμενος τελέσασθαι ἡγεμόνος

πιθοί τοῦ διασημοτάτου, i. ipse fluvius minax te sivit pontem perficere mitigatus obsequio in principem. non alius fuit Auxentius v. cl. comes et mechanicae professor a Symmacho memoratus, qui Romae Tiberim iunxit ponte Theodosiano sive Valentiniano circa a. 385. leviter id significari in Pauly-Wissowae encyclop. II p. 2615 s. modo video; ut ego sentio, nihil est dubii, huic aevo epigramma illud convenit desinens in comparationem Auxentii et Niliacorum machinatorum, quae mihi Ausonii et Symmachi studium hebdomadon Varronis in memoriam redigit.

VII Nicomachus Gerasenus 'ubi vixerit, ne suspicari quidem possumus' scripsit Hoche cum arithmetica illius edidit praef. p. IV. quidni putemus in patria unde notam traxerit Gerasis? ubi anno 231 publice statuae cum ponebantur Severo Alexandro et Iuliae Mamaeae, curatores ei operi quinque viri praefecti sunt, unus ἱππικός, reliqui nullo dignitatis vocabulo praediti, secundus fertur M. Aur. Claudius Nicomachus (inser. gr. rom. Paris. III n. 1360 s.): hic nepos esse potuit aut pronepos famosi Pythagorei. denique quod Zenobiae Palmyrenae ad Aurelianum *epistulam Nicomachus se transtulisse in graecum ex lingua Syrorum dicit ab ipsa Zenobia dictatam* (Peter hist. r. rel. II p. 152, 9), id in natales Gerasenos ita quadrat, ut mihi hunc quoque illa prognatum esse familia incidat suspicio; certe de nomine Nicomachi non est cur addubitemus (Peter ibid. p. CC).

VIII Ad lacum Lemannum Novioduni 'in porta castris' effossum fragmentum extat inscriptionis CIL. XIII 5021: *Cor]nel. Primus | . . aecen. Aquila | . . aecen Amphio | [ma]ceriem | [fecerunt?* his Mommseni supplementis non potest non addi *M]aecen(as) Aquila*, item *M]aecen. Amphio*. haud vulgare nomen *Maecenas*, copulatum cum *Aquila* idem extra agnatos prodigiosum; descendit ergo colonus iste Equester ab equitis clarissimi Maecenatis liberto eo qui una cum aliquo Agrippae liberto notarum Tironianarum corpus auxisse narratur (Funaioli gram. rom. p. 570). Cornelius ille Primus ὀμωνύμους habuit multos, Romae clientem Vespasiani (Tac.) et patronum Hedones ac maritum (CIL. VI 16400) et sepultum via Ostiensi libertinum (Not. d. sc. 1879 p. 144 h), in Germania Tolbiaci cultorem Veteraneharum, in Africa militem Severi, alios alibi.

IX Priscianus de figuris num. III p. 406, 22 K . . . *Latini . . . notant . . . quinquaginta per L, quia apud antiquos Graecos J, pro N, quae nota est quinquaginta, ponebatur teste Apollonide et Lucio Tarrhaeo. ταῦτα Λούκιος ὁ Ταρράβιος παρατίθεται,*

Lucillus Tarraeus clarus grammaticus et Apollonii interpres, in libro περὶ γραμμάτων, cuius reliquiis ab Hoerschelmanno investigatis (act. soc. philol. Lips. IV p. 333 ss.) tota Prisciani de graecis numerorum figuris expositio attribuenda videtur, in qua cum ἀρχαίων χαρακτήρων identidem mentio fit tum versus proferuntur novelli licentiore hiatu notabiles ἑκατὸν δ' ἄρα ἦτα πέλονται et καὶ ἰῶτα ἔν ἔστιν. ipse quidem Lucillus Prisciano non magis ad manum erat quàm Didymus, prostabant illa in graecis artis grammaticae commentariis.

X Κορηλιανοῦ κατὰ Βερονίκης verba pauca nobis servavit excerpta Stobaeus flor. IV 45 p. 230 H. in quibus ancilla gravia confessa dicitur de semet ipsa. Cornelianus rhetor ille nobilis est qui impp. Marco et Vero ab epistulis graecis fuit, cui Phrynichus tanquam novorum oratorum principi suam eclogam dicavit (Kaibel de Phryn. sophista p. 14), qui Frontonis familiaris nomine Sulpicius creditur (prosop. impR. III p. 283 n. 716). sed Berenice ista quaenam est? in transitu adicio quod ex inscriptione aevi Hadriani enotavi Not. d. sc. 1887 p. 28: ibi *Tullia Berenice et Beronice* una eademque mulier nominata est. Corneliani non puto fuisse orationem habitam contra talem de populo matronam, sed μελέτην qualem rhetores edere solebant artem docturi reducendo ac reformando historica argumenta controversiasque pristinas. Berenice vix ulla notior quam imp. Titi amica ac paene uxor, cuius *in digito factus pretiosior adamas notissimus* (Iuv.), quam et arcessitam iudicio et suae rei iudicem fuisse constat Quintiliani testimonio IV 1, 19: *ego pro regina Berenice apud ipsam eam dixi*. res digna miraculo acciderat circa a. 75.

pro certo sumpsi Cornelianum praeclarum fuisse illum oratorem, aliter enim excerptum hoc non erat perventurum ad Stobaeum. eapropter non ausus sum putare actorem causae tempore aequalem Quintiliano, non eum Cornelianum ad quem scripta Apollonii Tyanensis epistula fertur (fr. 95 ex Stob. flor. CXXI 34), non eum, si ab hoc diversus is est, ad quem Plinius scripsit ep. VI 31.

XI Accensendus est grammaticis sive antiquariis Romanis Iulius Suavis ex hac glossa incertae originis bis relata in grandi libro glossarum, qua de Goetz disputavit comm. phil. soc. Saxon. XIII 1891 p. 281, corp. gloss. lat. VI p. 620: *laena amictus rotundus duplex ut iulius suavis. suetonius vero ait toga duplex qua infibulati flamines sacrificant* eqs. post eadem sic refertur *lena amictus rotundus duplex ut iulius ait toga duplex* eqs. omissis

tribus vocabulis errore manifesto, praesertim cum *Iulius* solum non sufficiat ad denotandam personam. *Suavis* autem nomen proprium erat haud infrequens; ne epigraphica adgeram exempla, *Iulius Romanus* in Charisii arte p. 143 a *Suave* inquit *invitalus sum*. de laena qui disseruit *Suavis*, si interpretationem ipsam et ordinem interpretum expendimus, ratione probabili posterior *Verrio*, *Suetonio* prior existimatur. itaque potuit ille idem esse, cuius ut lautioris hominis aereum signaculum inter *Pompeiana* relictum accepimus CIL. X 8058, 43 *C. Iuli | Suavis*.

XII *Tutilius* rhetorica scripsit, sed ante mortuus erat quam *Quintilianus* nomen eius memoriae prodidit inst. III 1, 21. eodem fere quo hic liber anno *Martialis* epigramma V 56 prodiit, cuius versus 6 *famae Tutilium suae relinquas sine sale ac lepore est*, si non viventem *Tutilium* et disciplinae fama tum vigentem intellegis. atque deliberandum est an non quaterna ex utroque genere artium exempla *Martialis* elegerit, totidem ex liberalibus quot ex pecuniosis, ex illis *grammaticos rhetorasque* tum *Tutilium* denique *poetam*. *Plinius* amicum eum ad quem scribit epist. VI 32, 1 et ipsum esse continentissimum praedicat et filiam suam ita instituisse ut decuerit ipsius filiam, *Tutili* neptem, itaque ad *Tutilium* puellae avum quasi auctorem ἐγκρατείας laudem defert satis alienam a rhetoribus, magis propriam philosophorum. hinc conieci praeter *Tutilium* rhetorem qui circa a. 70 fuit, aliam *Tutilium* philosophiae doctorem fuisse circa a. 90, firmatque opinionem meam monumentum Romanum CIL. VI 9785: *C. Tutilio Hostiliano philosopho Stoico, domo Cortona, patri optimo C. Tutilius Iustus filius, Tutilia Quinta Tutilia Quarta filiae*. *Tuscus* ergo hic erat, popularis *Musonii* eiusdemque sectae. iam revolve quae de *Musonio* ac philosophis narrantur *Roma* expulsis a *Vespasiano*, qui *Musonio* ad praesens pepercerit, *Demetrium* autem cynicum καὶ τὸν Ὀστίλιανὸν relegarit in insulas (*Dionis* epit. LXVI 13 secundum codices *Boissevaini* p. 148, ante quem edebant Ὀστίλιον). an non idem tibi videbitur *Hostilianus* esse ac *Tutilius*, sicut *Pollio* et *Asinius*? *Musonium* exulem revocavit *Titus*, *Tutilium* restitutum in pristinum statum inscriptio arguit, ex poenis quas *Vespasiano* dederat, celebri eius sub *Domitiano* *famae* lux clarior adfulget.

XIII Pernotum est *Hieronymi* testimonium adv. *Rufinum* I 16 *puto quod puer legeris Aspri in Vergilium et Sallustium commentarios, Volcaei in orationes Ciceronis, Victorini in dialogos eius* eqs. nemo addidit de *Volcaeo* alterum eiusdem indicium hoc

ex epistula 70 ad Magnum oratorem urbis R. p. 665 Migne: *nunquam hoc quaereres, nisi te totum Tullius possideret, si scripturas sanctas legeres, si interpretes earum omisso Volcacio evolveres.* extat Magni sarcophagus Romae, cuius in titulo CIL. VI 9858 hic *rhetor urbis aeternae* tanquam *universae patriciae soboli lectus magister eloquentiae inimitabilis saeculo suo* extollitur, unde interpretationem etiam Volcaei Tullianam ad rhetoricam magis artem quam historias respexisse concludimus, non aemulatam Asconio. aetas Volcaei ne sic quidem notescit, *verbis Ciceronis* insudantes rhetores iam Martialis V 56 tetigit, tamen saeculo II posteriorem eum fuisse existimo, haud multo priorem Victorino.

Victorini autem fama ac studia Tulliana bene inlustrantur carmine epitaphio neptis eius nuper redintegrato ex schedis CIL. VI 31934, cum nunc non supersit nisi fragmentum publicatum ibidem 30130, CLE 599, quod ex illo lapide desectum esse misereque truncatum primus vidit Carolus Weerth. puella Megethio v. cl. nupta duodevicesimo aetatis anno obierat, mensis diesque depositionis adscriptus est, non annus. primi versus hi sunt: *Accia vel Maria est nomen mihi Tulliana, Victorinus avus, quo tantum rhethore Roma enituit quantum noster sub origine sanguis.* Maria nomen acceperat ab avo ac matre, hoc liquet, Tulliana ab avi laude meritisque, hoc coniectamus.

XIV Nomentanus quem Horatius ac Seneca ut prodigum notant, Cassius erat: *huius libertum Damam nomine cocum Sallustius Crispus historiarum scriptor fertur CM annuis conductum habuisse* Porphyrio ad Hor. sat. I 1, 102. sepulcrum prope urbem modicum habuere *D. Cassius D. l. Dama et L. Rubrius L. l. Hilarus, Cassia D. et L. l. Helena* CIL. VI 14502. hunc Damam Nomentani libertum Sallustique cocum fuisse equidem neque aio neque nego, sed suscenseo eis qui Lucium praenomine Nomentanum fingunt male mutato nomine Lucilii (1212 Marx) et si Decimus forte vocitatus esse apparebit, ne verum deprehendatur impediunt.

XV Humanis προσώποις adiungere libet unum divinum, quia parum recte acceptum video neque agnitum. Lanuvii olim extitit basis pulcris inscripta litteris *Mavortio sacr. hoc signum a servo tangi nefas est* CIL. XIV 4178, quem titulum editor peritissimus non multum a fuit quin falsi damnaret adnotans 'Mavorti dedicationes factas nullas habemus, paene monstruosa est haec facta Mavortio'. oblitus tum erat Romanae inscriptionis VI 473 *Mavortei* quam ipse post rettulit inter inscr. lat. selectas

3144, *Mavortius* autem minime Mars est sed *Mavortis semine natus* ut Cicero cecinit, ut Horatius, *Ibiae Mavortisque puer*, Romulus in caelum eVectus sive Quirinus. cuius appellationis auctor num Vergilius fuerit (Aen. VI 777 *Mavortius addet Romulus*), omnino dubito, immo pernego, sed recepisse eam et comprobasse proximi ab Augusto saeculi homines cultiores. testis locuples Petronius est cap. 124 Caesari et Pompeio faventia numina ita componens ut pro illo cum Venere et Minerva stet *ingentem quatiens Mavortius hastam* v. 268, pro Pompeio cum Latois et Mercurio Tirynthius i. Hercules, ut claudat utrumque ordinem semideus. atque Petronii verbo idem accidit quod Lanuvino Mavortio, ut inique iudicarem scilicet ritus Romanos haud satis edocti. hastam autem ac signum quaecumque fuit istud Quirini, quasi dominii libertatis iuris publici sacrum ne servus tangat, haec lex rerum religionumque naturae tam consentanea est quam prisca illa, ne paelex aram tangat deae tuentis matrimonia.

Bonnae.

Franciscus Buecheler.
